Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36531
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

remittendo peccata lex fidei data est que credentes liberaret a dominio legis.
ut possent reparari ad uitam. quos lex tenebat reos mortis. Ipsis enim iuxta
mortem est quibus iram operatur. Ita ut seruiam in nouitate spiritus. & non in uetus-
tate litteris. Hic legem tangere putatur. qua quidem ad cooperationem legis fi
dei inferiorem facit. non tamen inimicam dicit. Nam dicit idem nos eruit nos a lege
mortis ut seruiamus legi fidei. que nobis presidium contulit. quod uetus lex
non potuit. ne gratie beneficium inane uideatur. legi ueteri seruientes. Lex
uetus non criminis nomen est. sed temporis et etatis. Senuit enim. quia cessauit.
Lex autem spiritus ipsa est lex fidei. quia posita in animo est. nec operibus addiscitur.
sed corde creditur. & mente. Ipsa intelligit naturae suae et quod credit.
nec oculis cernitur aut manibus palpatur. & que sperantur dona inuisi
bilia sunt. nec terrena sed spiritalia. Vetus enim lex in tabulis lapideis formata
est. lex autem spiritus in tabulis cordis spiritaliter scribitur ut uenia sit. Litteri
autem legis ueteris. etate continentur. Est & alia interpretatio legis spiritus. ut quia
prior lex ab opere malo inhibuit. hec cunctos nec in corde peccare debere
dicit. Lex spiritus uocatur. ut totum hominem faciat spiritalem. Quid igitur dicimus.
Lex peccatum est. Absit. Quo legem mortis hanc dicit. & eruitos nos ab ea
gratulatur. & in illa domino seruire negat. ne iniquam hanc asserere puta
retur. hoc agnoscit cum dicit. absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem.
Non igitur peccatum est lex. sed index peccati. Ostendit enim quia peccata non
impune futura essent apud dominum. quo cooperto. homo factus est reus. Idem non
uidetur. gratias agere legi. Legi autem fidei gratias agit. quia qui per legem
moysi reus factus est. per legem fidei reconciliatus est deo. quamuis & illa
iusta & bona sit. Ostendere enim imminens periculum. bonum est. Sed adhuc
magis gratias agit. per quem ereptus de periculo uiuit. Nam & concupiscentiam
nesciebam. nisi lex diceret. non concupisces. Non discreuit concupiscentiam
hanc a peccato. sed miratur. hoc significans. quia cum nec suspicio esset
istud non licere apud dominum. cognouit esse peccatum. Sub sua persona. generale
agit causam. Lex concupiscentiam prohibet. quem propterea quod oblectamento est
non putabat esse peccatum. Simplex enim uidebatur causa concupiscere aliquid
primi. hoc lex prodidit esse peccatum. Secularibus enim hominibus nihil tam
inuitum uidetur. quam uoluptas. Occasione igitur accepta. peccatum per man
datum operatum est in me omnem concupiscentiam. Omnem dicens concupiscen
tiam. cuncta peccata significat. Supra enim concupiscentiam iuxta legem
memorat. nunc huic cetera addens uicia. omnem dixit concupiscentiam
operatam in homine pulsu diaboli quem in peccato significat. ut in con
trarium fieret homini lex que data erat ut prodesset. Videns enim dia